

quæ reapse distincta non sunt: sumam mihi audaciam hanc & dicam, excrementum hoc esse duum generum, alterum aqueum, alterum terreum.

Agam autem primo loco de aqueo, propter Hipp. reverentiam, usus eo ordine, quem hactenus mihi ipsi præscripsi.



*Lienem vacuare aquosum quid  
per alvum.*

## CAP. XIV.

**V**ideri potest ineptum hoc, Quod Melancholici pleriq; omnes sint siccissime & alvi, adeò, ut vix post tertium aut quartum diem onus hoc deponant: sed enim cum non omnes in universum sint tales, oportet, ut in iis, in quibus alvus satis est obediens, aliquid sit, quod illam subluit. Confirmat id, quod ficci illi aut plurimum mingant aut plurimum sudant. At qui consensus sit inter alvum & vesicam, si non aliunde, ex 4. Aph. 83. disci potest. Quod si inter hæc duo, etiam inter alvum & sudores: Eadem enim urinæ & sudoris materia est.